

I. O. Slangendorp


Falsæ Perfectionis Destructio.

Hafniæ 1594.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1493 4°




Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1493 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1493 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1493 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1493 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1493 4°

4. - 42.


DA BOX

LN 1493


M



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1493 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1493 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1493 4°

FALSAE PERFECTIONIS DESTRVCTIO, ET VERÆ, DEI IN VERBO MANDATÆ EXSTRVCTIO, PAVCIS

Thesibus comprehensa, ad quas

σὺν θεῷ

*

Præside

IOHANNE OLAI SLANGENDORPIO,

1. Maij, respondebit in Regia Academia.

GVDMVNDVS ENERVS Islandus.





BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

1260

HAFNIÆ

Impreßit Matthias Vinitor.

1594.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1493 4°

QVAESTIO.



Via ad hunc finem, omnes Christo initiati & sacrosancto eius lauacro regenerati sumus, nempe ut per germanæ fidei fructus, in sanctorum communionem recipiamur & domestici Dei fiamus: quæritur an aliquis propter Obedientiam, Dei in verbo mandatam, disciplinam honestam, vitæ sanctimoniam actionumq́, perfectionem vitæ sibi arrogare eamq́ iactare aut debeat aut possit? Siquidem memor sit eius dominici præcepti: omnia, cùm feceritis dicite &c.

THESIS.

I.

Hoc olim arroganter Cathari & Adamiani, quippe Manichæi quoq́ iactantes, affirmarunt renatos ad eam perfectionem ascendere in hac vita, ut nullo modo peccare possint, licet maximè velint. Valentiniani quoq́ se τελέιυς καὶ σπέρματα ἐκλογῆς *nominabant. Hieronymus & Augustinus contra Pelagianos differentes (produnt) eos affirmasse, hominem in hac vita omni peccato carere, ac proinde perfectum dici. Nostro etiam seculo infelices Anabaptistæ, eandem quasi postliminio quietis restitutam, agitantes, nuditatem atq́ innocentiam Adæ conati sunt, sed infeliciter exprimere.*

II.

Si ergo nemo asserere veritatem Christi â mendacio poterit, pristinoq́ restituere candori, nisi detecta & confutata detorsione corruptioneq́ diuinarum scripturarum: hæreses, errores & mendacia oppugnauerit, illibatamq́ vindicauerit veritatem: Sanè meæ fidei esse putaui, hac de re iuuentutem commonefacere, &

Sophisti-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1493 4°

ſophiſticam perfectionem iugulare, potiſsimum quòd illa inanes atq; turgidas, ſed fallaciſsimas perſuaſiones hominibus inſtillet, quibus ipſum fundamentum religionis ſanctæ ſubruitur atq; euertitur; immo totus articulus, de iuſtificatione, non obſcuratur ſolum: ſed funditus quoq; perit, nec mirùm quando huiusmodi impoſtores Dei gratiæ detrahant, neq; eam iuſtitiam, ceu unicum ſepimentum, quæ eſt Chriſtus bene viuendi prora & puppis, in ea quærunt, ſed ſepulchrum dealbantes, ſplendoris ſpeciem præſeferens, intùs verò putredine & peſsimi fœtoris cadauere plenum.

III.

Sit igitur hic ordo diſputationis præſentis, ut primùm dicamus de ipſa voce perfectionis tum & de eius diſtinctione. Hanc ut Sophiſtæ & Hæretici iactant, nec omni ſcelerum genere coo-perti, erubeſcunt efferre contra Chriſtum: ita nos & Dei ex verbo, & rationibus firmiſsimis eam iugulabimus, vanamq; eſſe oſtendemus. Ac deinde verâ, quanta licebit breuitate, his Theſibus adducta, abunde mihi ſatisfactum exiſtimo, ſi finitionem ſiue regulam vniuerſalem oſtendero, quâ pietatis amans, ad rectum conſtituendæ vitæ ſcopum deducatur, atq; ad eum officia ſua non malè exigat.

IV.

Vox perfectionis quæ Hebræis eſt Thom & Thamim in ſacris propriè & tropicè uſurpatur. Propriè in adiunctis ſcilicet rebus corporalibus: tropicè quando per Methaphoram transfertur ad res ſpirituales ſiue qualitates hominis.

V.

I. modo ſignificat rem aliquam præſertim corpoream, integram, non corruptam, mancam aut mutilam: ſed talem in quâ nihil deſiderari poſsit, hoc eſt omnibus numeris abſolutam ac om-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1493 4°

nino plenam, vnde & hac significatione in genere, perfectum definimus, esse absolutum, quod omnibus numeris integrum sit cui non possit addi. Græci autem in hac σημασίᾳ, sic quoq; definiunt, τὸ συμπληρούμενον τῷ ἰδίῳ τῆς φύσεως λόγῳ i.e. perfectum est quod completum est, propria naturæ suæ ratione.

VI.

Hanc definitionem, quum & tale συμπληρούμενον nulli hominum hîc detur, nec vllis meritis nostris acquiratur, sed Dei misericordia & Christi merito nobis in vita æterna restituatur, vbi Dei imago iterum ad ἀρχέτυπον conformata spectabitur, ex hac disputatione reijcimus.

VII.

Secundo modo, quando ad dicta scripturæ pios designantia, transfertur vox Thamim per Metaphoram, non est intelligenda de summa quadam perfectione, quæ non tantum omnes partes in substantia, sed & omnium partium quantitatem ac summos gradus habeat.

VIII.

Nam sicut in rebus corporeis & sensibilibus, vt Ezech: 15. v. 2. vbi de Iudæis per allegoriam dicit; vitem ante adustionem esse Thamim id est integram, illæsam, non fractam aut adustam: & in descriptione victimæ Exodi. 12. . 5. quâ præcipitur, vt sit agnus Thamim id est integer non mutilus, mancus, claudus, &c. non agitur de absoluta quadam aut omnimoda perfectione vitis vel agni, in quo nihil prorsus reprehendi queat: ita nec quando Noah, Abraham aut alij, scribuntur perfecti per Metaphoram, intelligendum est, quasi Noah, Abraham aut alij peregrinantes, in tabernaculo siue Ecclesia Domini, omni prorsus næuo careant, sintq; in summæ cuiusdam perfectionis statu. Quare si vice versa, intelligas summam quandam absolutionem aut perfectionem, desperationis dicta erunt. Nullus enim vsquam gentium ita prorsus

abso-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1493 4°

absolutus, perfectus vel ἄμεμπτος repertus est, vnico excepto Christo.

IX.

Ex Etymologia & definitione nunc satis apparet, perfectionem Sophistis significare gradum dignitatis humanæ naturæ, ex quo homo decidit per peccatum, & ad quem si reuertatur in hac vita, sui conseruationem attigit, nec esse quò aspiret vltrà, quod philosophi vocant τὸ τέλειον ἐν ὑπεροχῇ, vnde & hac perfectione decepti, non solùm dicunt, perfectum aliquod & absolutum ab homine præstari posse, quod coram Deo valeat tanquam meritorium; sed etiam perfectionem ita redundantem faciunt, vt non solùm pro ipsis, sed etiam pro alijs imperfectis impendi poßit.

X.

Hæc doctrina cùm prorsus intolerabilis sit, falsa erit hæc perfectio, cui opponimus veram, ita vt alia sit falsa, alia vera perfectio: sicut ergo omnis qui falsam hanc approbat, sibi nescio quam viuendi rationem, sanctitatemq; promittens, à cœtu illo hominum (quem Deus & sibi aggregari & conseruari voluit) alienat: ita omnis qui ad veram aspiret, oleo sancto inunctus est, & Christi sacerdotium suscepit, à quo vicißim omnis qui alienus est, caput eius quod vnum est non agnoscit, sed aliunde, non per ianuam quæ itidem vna est, adeoq; non per vnum Saluatorem & mediatorem nostrum, ingredi cœlum contendit.

XI.

Cùm itaq; falsa hæc & hypocritica perfectio, vergat in ignominiam filij Dei, quæ exstinguit, in animis hominũ meritum eius, totosq; nos rapit in propriæ dignitatis admirationem, immo poßibilitatem hanc ita diffundit, vt alijs communicet perfectionis opera, nunc neruos falsæ perfectionis scripturis & rationibus exscindemus.

Genes. 6..5. & 8..21. Esa. 9..17. Psal. 143..2. & 51.
.7. Ose. 4..1. Mich. 7..2. Iob. 15..15. 25..4. & 5. Tim. 7..20.
item 15..13. & 24. Ecclesi. 7..5. Proverb. 24.. & 16. Ioan. 13.
.10. Rom. 3..10. & 11. His & similibus locis scripturæ facilè euinci potest, nullam talem in hac vita perfectionem statui posse, quæ valere poßit coram Dei iudicio, unde sequitur, falsam exsibilandam, quam nunc deinceps rationibus impugnabimus.

XII.

I. Falsæ perfectioni repugnat confeßio Apostoli Rom. 7..23. video aliam legem in membris meis, & iterum non ego, quod volo bonum hoc ago, sed quod nolo malum hoc facio. Ex his si concludas, sequitur: Si Apostolus quod voluerit, implere non potuit, multo minus alius implebit, & perfectus erit. Atq; verum quod antecedit. Ergo & quod sequitur. II. Repugnat ipsa fides, quæ si semper incrementa habet, idq; per crebra & quotidiana pietatis exercitia, tametsi nunquam ad summum perfectionis gradum peruenerit: Sanè non poßunt credentes esse perfecti. At hoc verum. Ergo falsum contrarium. III. Repugnat restitutio imaginis Dei. Atq; hæc imago non potest perfectè restitui in hac vita. Ergo quã diu illa restituta non fuerit, tam diu frustra homini tribuimus perfectionem. IV. Repugnat quoq; pœnitentia piorum: Si enim idipsum quod agimus pœnitentiam nisi Dei nitamur auxilio, implere non poßumus, sequitur nos prorsus esse imperfectos. At non possumus. Ergo. Minorem probat Ieremias Cap: 31..18. Conuerte me & conuertar, quia tu Dominus Deus meus. 19. postquam conuertisti me egi pœnitentiam. V. Repugnat confeßio omnium piorum. Nam si tum primùm iusti sumus, quando nos peccatores fatemur, & iustitia nostra non ex proprio merito, sed in Dei consistit

misericordia

misericordia, sequitur impletione legis, nullo modo nos esse perfectos. At hoc sic. Ergo & illud. VI. Communis quoq; orandi formula nos omnes reos facit, quæ non poterat communiter præscribi omnibus, nisi omnes imperfectione laborarent. Illa autem est: Remitte nobis debita nostra: Sed nullus in Ecclesia Dei reperitur, in quolibet profectu, excellentia, atq; iustitia, qui sibi audeat dicere, non necessariam precationem orationis Dominicæ: Remitte nobis debita nostra. Ergo omnes se imperfectos fateantur necesse est. VII. Repugnat quoq; perfectionis forma, nempe obedientia, quæ est quasi consequens fidei. At hæc obedientia quamuis necessaria, etiam in renatis est imperfecta. Nam semper manent in hac vita in renatis peccata. Ergo vana est sophistarum perfectio.

XIII.

His addo experientiam iudicem, cuius infallibili quadam testificatione, ex una aut altera parte officij præstandi erga proximum (impoßibile enim esset) singula genera persequi, pij omnes euidenter intelligent, quàm longè absint à perfectione.

XIV.

I. Christi authoritate scimus post fidem, charitatem eße legis ac prophetarum caput, & præceptorum omnium primum maximumq;, nunc ex lege et mandatis diuinis in genere proximos diligere iubemur, non personas, nempe amicos, familiares, notos, sed externos, inimicos, adeoq; pauperes omnes & quauis calamitate pressos afflictosq;. Nam & hi eandem nobiscum naturam sortiti sunt, atq; eodem luto, ex quo primum creati sumus, effecti atq; conflati &c. Tum eundem Christum secundum interiorem hominem induerunt, atq; eundem nobiscum spiritus arrabonem fidei suæ commissum habent, qui deniq; earundem nobiscum legum participes

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1493 4°

ticipes facti sunt, eorundem oraculorum, testamentorum, mysteriorum eiusdemq; spei, atq; vt reliqua omittam & nos & hi omnes vnum in Domino sumus, omniumq; vnum caput, ex quo omnia, Christus. Verúm hi fortuna, honore, dignitatibus, pecunijs, genere, forma, & amicis accisi ac spoliati, in manus nostras intuentur, vt nos in Dei manus, cùm re aliqua egemus intueri solemus &c. Sed numquid in hoc aut simili casu, iuxta Dei mandatum: dilige proximum tuum sicut te ipsum, semper humanitatis ac memores miserationis, sunt perfectionis ebuccinatores? prodeat ergo iam experientia iudex, quæ incorruptè pronunciat, eos fratres despexisse, præterijsse, & vt scelus, vt piaculum aut aliud quiddam fugiendum atq; interdictum auersatos? Nunc ergo qui perfectionem iactant, si perfecti sunt, cur non fluxas & perituras facultates, in proximos suos, egena Christi membra conferunt? persuasi ex Dei verbo de remuneratione amplissima? Si non conferunt dubitant, nec diligunt proximum, ergo quoq; non sunt perfecti.

XV.

II. Vt singulos reipub: Christianæ status præteream, saltem addo etiam ideam perfectionis, omnium virtutum cumulum arguere, in eo, in quo elucescit: itaq; præclara virtus est, iugis meditatio verbi diuini, & eius viua praxis, præclara quoq; humanitas, lenitas, clementia, æquanimitas, Zelus, corporis mortificatio & contusio, ac reliquæ omnes. Prodeat iam iterum experientia, quam fingamus compellare non gentes, aut barbaros, sed christicolas perfectosq;, atq; eos iubere vt appenso speculo sese contemplari diligenter, descendereq; in seipsos velint, si autem rigore legis diuinæ ita euincuntur, vt ne perfectionem vnius virtutis proferre possint, quæso, quid ad cumulum, siue cateruam reliquarum, apud

tribunalia

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1493 4°

tribunalia Dei responsabunt? vbi nullæ laruæ, nullæ hypocrises obtinebunt? Quare ad Christum confugiant necesse est, abeantq; in conclauia genibusq; prouolutis orent: Domine omnipotens Deus, miserere nostri. Nam cùm nos miseri nullam excusationem prætendere possimus, oramus te Dominum nostrum supplices, vt nos tua gratiâ & misericordiâ digneris, quâ gratuitò condonas & non imputas admissa scelera. Ergo misericors Deus nostri miserere Amen.

XVI.

Postremò his quoq; adiungimus exempla sanctorum, vbi videbimus nec vllum sanctum ita esse perfectum, vt possit dicere se esse immunem prorsus à peccato, considera Adamum, Abrahamum, Lothum, Dauidem, Samsonem, Salomonem, prophetas omnes et Apostolos, quorum insignes lapsus, imperfectionem in hac vita prorsus arguunt, huc accedunt piorum tentationes. Etenim desiderijs quousq; in carne viuit, nemo carebit, ideoq; nemo liber à tentationibus, proinde imperfectus. Quare Sophistarum perfecti & sancti similes sunt sapientibus Stoicorum, qui tales finxerunt sapientes, quales nulli vnquam fuerunt in rerum natura, sic Sophistæ hac stulta atq; impia persuasione, adegerunt seipsos & alios, infinitos ad desperationem. Atq; sic refutauimus falsam perfectionem, vanam ac sophisticam, sequitur vera, de quâ quoniam in re quâq;, constare debet, eademne existat, tum quid sit & qualis sit, his tribus breuiter explicatis, absoluimus nostrum institutum.

XVII.

Si Christiani & fideles nominantur perfecti in scripturis, esse aliquam perfectionem, eamq; veram, & verbo Dei consentaneam, dubium esse non potest, At verum quod antecedit. Eph: 4.. 13. Phil: 3.. 15. Matt: 5.. 48. 1. Cor: 1.. 10. & 14.. 20.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1493 4°

& 13. . 1. Coloß :1. . 28. 1. Pet :1. . 13. Matth :19. . 21. Ergo & quod ſequitur. Quare & quid illa ſit, iam inquirendum, ne Sophiſticæ & vanæ eam immiſceamus.

XVIII.

Perfectio christiana eſt agnitio ſuæ imperfectionis, & vera Christi cùm cognitio tum fiducia, quâ penitus perſuaſi, diſcedimus à voluntate propria, Deiq; voluntatem ſequimur cui poſtpoſitis omnibus mundi rebus, obedientiam vnicè præſtamus, ad eamq; vitam noſtram conformamus. Hæc qualiscunq; definitio, cùm ſatis euidenter monſtret qualisnam eſſe debeat perfectio christiana, quod poſtremum erat inſtituti noſtri, eius membra breuiter retexam.

XIX.

Ad huius finitionis communitatem declarandam, dicimus eſſe agnitionem ſuæ imperfectionis: Etenim renouatio quam operatur Spiritus Sanctus in iuſtificatis, non perficitur quoád hîc viuunt, ſed tantùm inchoatur. Nam manent in carne renatorum, multæ magnæ & prauæ concupiſcentiæ, quas renati magnopere deplorant, Heb :12. . 2. Circumſtat nos peccatum. Et caro noſtra eſt maculata tunica Iudæ 2. . 3. Pſal. 31. . 5. Delictum meum cognitum tibi feci, & iniuſtitiam meam non abſcondi Rom :7. v. 18. Scio quod non habitat in me, hoc eſt in carne mea bonum.

XX.

Pij ergo & fideles inde animaduertentes ſuam externam obedientiam, ſua opera bona, non eſſe aut fieri poſſe perfecta. Eſa: 64. . 6. Quaſi pannus menſtruatæ vniuerſæ iuſticiæ noſtræ.

Rom: 8.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1493 4°

Rom: 8. . 23. tantùm habemus primitias spiritus. Gala: 5. . 5. Et spiritu ex fide spem iusticiæ exspectamus. Quare neq; his coram Deo confidunt, sed vt ad perfectionem perueniant suam imperfectionem agnoscunt.

XXI.

II. Ad eandem communitatem declarandum, dixi esse veram Christi cognitionem. Nam Christi cognitio. I. principium est vitæ et primus ad pietatem aditus. II. Modus etiam est, quo nos omnium bonorum Deus facit compotes. Ac III. Nullus spiritualium donorum vsus in salutem esse potest, donec Christi doctrina illuminati Deum cognoscimus; tum huic cognitioni fiduciam addo, vt ostendam eam non esse nudam vel otiosam ac infructuosam etiam, sed viuam ac πρᾶξιν ἐνεργειτικὴν.

XXII.

Ergo vbi Christi cognitio viua & efficax existit, fieri non potest, vt quis verè eâ præditus dicatur, qui fructus germanos fidei non habeat, adiunctos. Itaq; vt simul quoq; ostenderem quatenus generis communitas, propositam rem contineret, differentiam siue particularem notionem hanc, tertio loco dixi, quâ vera perfectio constituitur discedere à voluntate propria.

XXIII.

Etenim cùm homo voluntatem suam sequendo, intereat prorsus necesse est, ergo si velit instaurari, (vt quoniam contrariorum contraria sunt remedia) discedat à voluntate sua, Deiq; voluntatem sequatur, quippe cùm sit hominis voluntas Dei voluntati contraria, & nemo poßit duobus contrarijs Dominis seruire.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1493 4°

XXIIII.

Præcipua igitur cura, primumq́ studium pio homini sit, scire voluntatem Domini Dei sui, & quid ei placeat, quiduè displiceat diligenter inquirere, vt secundum Apostolum rationabile Deo reddat obsequium, totumq́ vitæ suæ cursum, ex eius posſit ordinare sententia.

XXV.

Christus Matt: 10..37. inquit: qui patrem & matrem amat plus quàm me, non est me dignus. At voluntas propria, naturaliter amat parentes, fratres, sorores, domos, agros, & reliqua quæ iure pecuniario posſidentur. Hæc enim sunt præsentis subsidia vitæ, sed nunc proponitur conditio, vt Christum dimittas, si illos tecum habere desideres, et fieri etiam potest, vt dicatur christiano, ab aliqua potestate, aut Christianus non eris, aut si in eius confesſione permanere perrexeris, necessarios tuos, agros, domum, posseſsionesq́ non habebis. At pius & fidelis, Dei voluntatem in verbo expressam nouit, centuplum accipiet, & vitam æternam posſidebit, qui reliquerit domum vel fratres, patrem aut matrẽ, Matt: 19..29. Quid igitur iam facit? Sanè ne hæc longè maximè amittat, immo qui meminit se veraciter esse christianum, cùm audierit, sibi illa proponi, quòd nisi hæc omnia perdere velit, dimisſurus est Christum, apprehendit potius turrim fortitudinis, à facie inimici, & si suorum orbitates vel separationes pro Christo minatur hic mundus, oderit parentes, fratres, filios, vxorem. Ad hæc: Si de ipsa corporis vita, cum aduersario paciscendum erit, ne desertus deserat Christus, oderit insuper animam suam, de his quippe, & similibus mandatum acceperat, quòd aliter Christi discipulus esse non posſit.

XXVI.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1493 4°

XXVI.

Hac Christi cognitione, fiduciâ & voluntate Dei confirmatus Abraham, non suam voluntatem Dei voluntati, aut στοργὴν φυσικὴν Dei amori prætulit, dum iuberetur mactare filium suum, vnicum vitæ solatium Abrahamo seni & sanctissimæ matronæ Saræ, sed vt voluntati diuinæ pareret, suam voluntatem & carnis affectum iugulauit penitus.

XXVII.

Eodem modo de Dei voluntate, edocti multi vtriusq; sexus, clarissimi & opulentissimi homines, olim martyrij gloria sublimati, non tantùm esurientem Christum pauerunt, sitienti potum dederunt, nudum vestierunt, peregrinantem susceperunt: Sed etiam fiduciâ Christi & spe beatæ remunerationis armati, quemadmodum parentes, filios, fratres, vxores, hoc modo & omnia bona mundi relinquere, si talis conditio proposita fuisset, vt nisi demisso Christo, eas habere non possent, infracto erant parati animo.

XXVIII.

Verùm qui ita sunt affecti, erga voluntatem Domini Dei sui, & si non quantitate & gradibus, nihilominus iure ac meritò σχετικῶς hoc est eorum respectu, perfecti dicuntur, qui quemlibet disertè & volubiliter de Euangelio garriant, quia tamen seculo huic non renunciant, aut voluntati Dei sese deuouent, non modò à creatore suo, pessima perfidia deficiunt, sed ipsum quoq; seruatorem eiurant. Non enim linguæ tantùm est euangelij professio, sed vitæ, nec in intellectu, memoriaq; duntaxat apprehenditur, vt reliquæ disciplinæ, sed tum recipitur dum vbi animam totam possidet, sedemq; & receptaculum inuenit in intimo cordis affectu.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1493 4°

XXIX.

Vltimò etiam ad particularem notionem definitionis adieci, obedientiam vnicè voluntati Dei præstandam.

XXX.

Hæc licet ex superioribus satis intelligantur, tamen iusta & sincera obedientia, non tantùm se exerit in Deum, cui multiplici iure est obstricta, sed & proximum complectitur. Quare & sua recipit complexa, monetq́ue vt diligenter consideremus quibus nos diuina voluntas subiecerit, ne temere quibusuis obediamus, legitimis enim si obediatur iuxta voluntatem Dei, Deo obeditur semper. I. igitur obedire oportet Christo communi nostro domino, de quo clamat pater, Matt: 3. . 17. Hunc audite. II. Christi ministris Matt: 10. . Qui vos audit me audit, III. Magistratibus iusta præcipientibus Rom: 13. . 1. Tit: 3. 1. 1. Pet: 2. . 13. IV. Viris mulieres, Genes: 3. . 16. Coloß: 3. . 18. Ephes: 5. . 22. Parentibus liberos Ephes: 6. . 1. &c. Secundo quomodo? Nimirum 1. Vt non simpliciter quæ ille præcepit opere, sed animo quoq́ue syncero fideli ac voluntario perficias, quo, ipsi menti Dei obedias, idq́ue magna cum delectatione. 2. Non quibusdam tantùm præceptis Dei, sed omnibus obedias. 3. Non ad tempus deniq́ue, sed per omnem vitam obedientiæ studeas. 4. In qua re? hîc non locum habet vlla præsumptio, sed vni est voluntati Dei obsequendum. Nam extra hanc, non poterit esse vera obedientia, quidquid simulaueris.

XXXI.

Cæterum postrema particula erat, ad Dei voluntatem, vitam nostram esse conformandam: Hæc his absoluitur. 1. puritate affectuum, quæ agnitione nostræ infirmitatis, fiduciâ mediatoris, & voto pietatis continuandæ æstimatur. 2. Morum integritate,

tate,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1493 4°

tate, quæ pietate erga Deum, ſanctimonia vitæ, dilectione erga homines & ſancta inuocatione abſoluitur. Ac 3. abnegatione ſui ipſius. Nunc ſi abnegauimus nos & noſtri non ſumus, ſed Domini Dei noſtri, & quis error ſit fugiendus, & quorſum ſint dirigendæ vitæ noſtræ actiones vniuerſæ apparet. Noſtri non ſumus, ergo ne ratio noſtra in conſilijs noſtriſq; factis dominetur. Noſtri non ſumus ne ſtatuamus nobis hunc finem, vt quæramus quod nobis ſecundum carnem expediat. Noſtri non ſumus ergo quoàd licet obliuiſcamur noſmetipſos, ac noſtra omnia. Rurſum Dei ſumus, illi ergo viuamus ac moriamur. Dei ſumus, cunctis ergo noſtris actionibus præſideat ſapientia eius, ac Dei voluntas. Dei ſumus, ad illum igitur tanquam ſolum legitimum finem contendant omnes vitæ noſtræ partes.


XXXII.

Huiuſmodi hominis verum erga Deum ſtudium, obedientia, & vitæ integritas, perfectionis elogio ſubinde in ſcripturis ornatur & 1. quidem propter reſpectum ad ſuperiorem vitam, quâ in tenebris & ignorantia Dei viximus, 2. Propter imputationem, etſi enim ſordes multæ adhærent ſanctis: tamen Deus ſordes iſtas non imputat, modo ſpiritu eius ducamur. 3. Quia ad illam perfectionem glorioſam tendit, quæ ſanè æſtimabitur perfectione iuſticiæ, vbi erit plena glorificatio ſanctorum, plena noticia Dei, abſoluta cordium puritas & perfecta obedientia in omni æternitate.


FINIS.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1493 4°


Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1493 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1493 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1493 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1493 4°